

S T A T V S M E D I O L A N E N S I S .

Ticinus fl. *Ticinus*, quem Tabula Itineraria *Ticenum* vocat, uti & oppidum ei appositum, quod nunc *Papia*, vulgo *Pavia* dicitur, hodie *Tesino* vocatur. Oritur ex monte *Summano*, qui nunc *D. Gothardi* mons nuncupatur: ex quo per *Leopontios* in Austrum inter præcipites rupes ad *Belinzonam* oppidum munitissimum fertur: inde copiosius accessione plurimorum amnium ac torrentium in *Verbanum lacum*, cui nunc vulgaris appellatio *Lago Maggiore*, evolvitur: quem, ut *Plinius* auctor est, supermeat, ac tandem redditus per planiciem præcipua claritate *Padum* influit: quâquam non illa quam ex lacu trahit, abundantia, quum derivationibus & fossis in irrigua passim loca excurrentibus exhauriatur. Tam est limpidis ac pellucidis aquis, ut etiam minimum quodcunque imo in fundo conspici possit. Aurum quoque & argentum ex ejus arenis colligi tradunt. Piscium nobilitate inclarus est, præcipue laudatissimo *Thymallo*. Notat *Livius* lib. 5, non procul hinc *Etruscos* à *Gallis*, *Belloveso Duce*, fusos, nec non pontem in eo Romanos ad *Hannibalem* expugnandum struxisse: proeliumque juxta eum commissum, quo patrem *Scipio*, qui postea *Africanus*, vulneratum cædi eripuit. De hac pugna ita *Silius* canit lib. 1:

*Dum Romana tue, Ticine, cadavera ripæ
Non capiant.*

Idem lib. 4 fluvium sic describit:

*Ceruleas Ticinus aquas & stagna, vadoso
Perspicuus servat turbari nescia fundo:
At nitidum viridi lente trahit amne liquorem,
Vix credas labi; ripis tam mitis opacis
Argutos inter volucrum certamina cantus
Somniferam ducit lucenti gurgite lympham.*

Hinc & *Claudianus*:

*Colla levant, pulcher Ticinus & Addua visu
Cæculus.*

Recipit cum alios tum *Muetium*, quem *Rhæti* de *Mouß*, Itali *la Muesa* nominant.

*Lambrus
fl.*

Porro *Ticinum* proxime sequitur *Lambrus*. Adcolis hodie ab appositis oppidis vocatur *Fiume di Mouza*, & *Fiume di Merignano*. Nonnullis tamen etiam nunc antiquo nomine dicitur vulgo *Il Lambrò*. *Silius* *Labarum* vocat. Sic enim libro quarto canit:

*Scipio, qua medius pugna vocat agmina vortex,
Infert cornipedem; atque instinctus strage suorum,
Inferias cæsis mactat Labarumque Padumque
Et Comum, & multo vix fuscum vulnere Brennum.*

Eundem amnem in Itinerario antiquo Hieroso-

lymitano vocari *Fluvium frigidum* ostendit in *Insubribus*, cap. 24, *Cluverius*. Oritur infra lacum *Larium*, qui vulgo nunc est *Lago di Como*. Haud procul à fonte tres recipit nunc modicos lacus. At antiquitus unus hic fuit, si *Plinio* credimus, *Eupilis lacus*, quem *Lamber* transtulit, ut *Verbanum* *Ticinus*, *Larium* *Addua*, *Sebinum* *Ollius*, & *Benacum* *Mincius*. A *Lambro* dicti sunt ejus accolæ *Lambrani*. *Suetonius* in *Cæsar. Per Lambranos & Transpadanos duxit.*

Addua, nunc *Adda*, Græcis unico d scribitur *Addua*, *Adæas*, *Straboni* *Adæas*, *Cenomanos* dividit ab *Insubribus*. Pater illi mons *Braulius*, nunc monte *Brailo*, in excelso *Alpium Rhæticarum* jugo, licet *Strabo* eum ex *Adula* monte nasci scribat. Per *Tellinam* vallem quinquaginta circiter millia passuum lapsus, lacum *Larium* transtulit, non permixtis, uti ajunt, aquis. è quo redditus per planiciem in *Padum* tendit, deferens secum *Pisclavonem*, *Meiram*, *Liram*, *Tartenem*, *Lecium*, *Orcum*, *Brembum*, *Serimortum*, & *Serium*, qui in montibus supra *Bergomum* ortus, perque *Serianam* fluens, hybernis mensibus, cuniculis quibusdam se condit, rursusque juxta *Cremam* copiose exoriens, tandem in *Adduam* illabatur; æstate tamen liquefcentibus ardore *Solis* montium nivibus, adeo solet intumescere, ut non solum meatus subterraneos impleat, sed etiam supra terram perpetuo exundet. Meminit hujus *Claudianus* in *Panegyrico* de sexto consulatu *Honorii*:

*Colla levant pulcher Ticinus & Addua visu
Cæculus.*

Quod de aquis non mixtis dixi, innuit idem Poëta:

Addua quo scissas spumofior incitat undas.

Anno *MDCVII* exstructum fuit validissimum propugnaculum, de *Fuentes* dictum; cui nomen dedit *Petrus Enriquez Toletanus*, Comes de *Fuentes*, qui ea tempestate *Mediolano* Gubernatoris titulo præfuit, regis *Hispaniarum* nomine in *Italia* Dux generalis. posita hæc arx est in colle aut monte, alto dimidium circiter milliare, in agro *Mediolanensi*, versus *vallem Tellinam*. Ad montis pedem oritur lacus *Comensis*. Prope arcem mons est excurrentis in longitudinem milliariis, plus minus, in territorio *Vallis Tellinæ*, prope flumen *Vdam*, qui à militibus præfidiariis tenetur. Sita est loco munitissimo, & amœnissimi prospectus, verum aëre minus salubri fruitur.

*Propugnaculum de
Fuentes.*